



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Galeoti Martii Narniensis De Homine Libri Dvo**

**Galeottus <Martius>**

**Basileae, 1517**

Alae

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31834**

intelligēdo Tatam quoq; nutricem significare. A mamma Tata.  
mammilla diminutiuum, Iuuenalis, Māmilla

Recta facie strictisq; mammillis.

Dicitur etiam papilla ob quandam similitudinē. Est enim Papilla:  
papilla, illud quasi tuberculum quod lactentes pueri ore ca-  
piunt, papilla dicta quasi parua papula. Et ideo saepe papil-  
la p tuberculo, morbo, & cōdylomate reperit. Q. Serenus.  
Excruciant turpes anum si forte papillæ.

Id est, paruae papulæ. Vergilius undecimo,  
Hasta super dextram donec perlata papillam  
Hæsit. Catullus,  
En hæc in roseis latent papillæ.

pro tuberculo mammarum. Sed olim mamma rumen uo- Rumen:  
cabatur. Plinius quintodecimo naturalis historiæ. Quoniā  
sub ea inuenta est lupa infantibus præbens rumen, ita uoca-  
bant mammam. Sed superius diximus rumen partem gut-  
turis dici. Vnde rumino descendit, quod ratione non caret. Rumino  
nam rumen mamma quasi sumen dicitur. Sumen autē est Sumen,  
uber a fugendo, ut inferius cum de interiore homine dice-  
mus, late patebit. S, em & R, inuicem sibi cedunt. Vnde ru-  
stici, ut ait Festus, hædos adhuc lactentes subrumos dicunt. Subrumi  
A papilla expapillatus dicit, teste Nonio, qui allegat Plauti  
textum in Milite glorioso, Expapillato brachio, pro usq; ad  
papillam nudato.



## ALAE

LAE sub humeris sunt & in homine uestiuntur Alæ.  
pilo. Plinius undecimo naturalis historiæ. qd'  
titillatur maxime intelligit alarū, quas subit, non  
f , alibi

alibi tenuiore humana cute . ideoq; scalpendi dulcedine ibi  
 proxima. In istis quas diximus alas uocari , cōcipitur aut ex  
**Hircinus**  
**odor.** sudore, aut immunditijs odor ille hircinus , quem nonnulli  
 hominum habent, de quibus Persius ,  
 Hic aliquis de gente hircosa centurionum.  
**Hircosi.** Et Catullus more suo mordens de Ruffo sic ,  
 Lædit te quædam mala fabula qua tibi fertur  
 Valle sub alarum trux habitare caper.  
**Titillatio**  
**Titillo.** Ala autē axillam, sicut mala maxillam facit . Et in hac parte  
 est titillatio a uerbo titillo. Horatius secundo sermonum,  
 Præterea neruos titillet gloria iure  
 Iurando obstringam.

## LA TERA

Latera.



NFR A alas sunt latera quæ costis terminant,  
 & a dextra & sinistra . Vnde in euangelio legi-  
 mus, Miles lancea latus eius aperuit. Iuuinalis,  
 Præterea lateris uigili cum febre dolorem  
 Si coepere pati missum ad sua corpora morbum  
 Infesto credunt a numine.

Pleuresis Est autē huiusmodi morbus quē pleuresim nuncupant. Sed  
 latus multis de rebus dicitur. Vergilius primo Aeneidos,  
 Impulit in latus, ac uenti uelut agmine facto

Qua data porta ruunt. Iuuinalis,  
 Curatoris eget qui nauem mercibus implet  
 Ad summum latus. Idem,  
 Nec frustum Capreæ subducere, nec latus Afra  
 Nouit auis.

Sed latera attollit deprimitq; respiratio . Hinc est q; orator  
 laudatur